



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 76. Quid specialiter notandum sit circa Missas festo nativitatis Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**

gentiæ nulli præjudicant, neque earum usus vergit in detrimentum ecclesiasticæ disciplinæ, cujus observatio fuit finis & scopus Pontificum, uti exprimitur in Bullis revocatoriis.

Dices 2. In præfatione novi compendii privilegii Societatis dicitur, porro nullis aliis gratis & privilegiis quacunque etiam communicatione Societati nostræ illa competant, quæ in hoc compendio comprehensa non sint, uti nunquam licebit: hoc autem privilegium non comprehenditur in novo compendio; ergo. R. Non licebit uti, nisi specialiter communicetur à Generali, nam statim adduntur hæc verba *si tamen illorum usus* (id est aliorum privilegiorum, quæ hoc compendio comprehensa non sunt) *alicubi necessarius fuerit, is à Præposito Generali impetrandus erit*: hoc autem privilegium à Generali impetrant & nobis communicant Provinciales ergo.

Q. 76. Quid specialiter notandum sit circa Missas in festo Nativitatis Christi. R. Seqq. §. 1. Tres Missæ hac die permittuntur in honorem triplicis Nativitatis Domini, æternæ ex Patre, temporalis ex matre, spiritualis in anima justii. Notant autem *Bon. Barb. Gav. Lohn. Leand.* num. 447. nequidem Parochum in Natali Domini teneri ad tres Missas, quia est tantum permissio, & privilegium legendi plures, rectè tamen monent *Gob. & Sporer* n. 456. Parochum debere observare morem suo loco receptum. Addunt *Suar. Gav. Aversa. Leand.* has omnes Missas legi posse ante auroram: item qui unicam vult legere, posse quamcunque: suadent tamen *Arnaud. & Lohn.*, ut legat tertiam, quia oratio illius concordat cum officio; alii suadent, ut accipiat accommodatam tempori, quo legit, nempe si le-

gat in nocte, ut accipiat primam, si in aurora, secundam, in pleno die, tertiam; quameunque autem legat, si legat unicam, debet in ea facere commemorationem S. Anastasie. Nec licitum est legere duas Missas & loco tertie communicare more laico, uti dictum est n. 242.

528.

§. 2. Communior praxis in Germania habet, ut in primis duabus Missis non fiat prima purificatio solius calicis, sed sumpto sacro sanguine, statim fiat ablutio digitorum supra calicem, interim tamen dicitur utraque precatio alias dici solita in purificatione calicis & ablu-tione digitorum, Gav. Arnaud. Vinum autem illud effunditur in aliud vas impositum corporali, & pallâ tectum, calixque extergitur. Romæ, Leodii & alibi alia est praxis, quæ ibi servanda est.

529.

§. 3. Si jejunium esset fractum etiam inadvertenter, non debet ulterior Missa legi. Quandoque autem frangatur jejunium requisitum ad communionem, dictum est in p. 1. nu. 550. & à n. 566. ex quibus resolvitur hic casus: Titius in prima Missa incogitanter sumpsit in os quinque aut sex guttulas ablu-tionis, sed se reflectens & non audens vel exspuere, quia sacræ species erant admixtæ, nec deglutire, ne fracto jejunio impediretur ab aliis Missis legendis, tam diu in ore retinuit, donec ore salivâ repleto nihil amplius experiretur de vino, sicque deglutit tanquam salivam. *Queritur*, an manserit jejunus. R. Sporer dubitavit propendens magis, quod fractum esset jejunium, quod omnino puto fractum fuisse, quia vinum illud non poterat dici se habere per modum salivæ, uti colligitur ex dictis p. 1. n. 566. Nec saliva illa vide-  
tur

tur potuisse sufficienter diluere vinum, adeoque dici debuit potius saliva descendere per modum vini, quam vinum illud per modum salivæ.

§. 4. Quamvis p. 1. nu. 459. dixerim guttas vini internè adhærentes, & non vicinas fundo calicis meliùs excludi ab intentione consecrandi, tamen in his duabus primis Missis meliùs intentione includuntur, ne postea sumatur aliquid non consecratum & frangatur jejunium. Idem fortè suaderi posset de parvis partibus panis, quæ jacent in eo loco corporalis, unde postea colliguntur particulæ & cum sacro sanguine sumuntur, nam si non fuerint consecratæ etiam frangunt jejunium: sed quoad has Ecclesia non videtur tam scrupulosè requirere jejunium.

Q. 77. Quomodo defectus in Missa sint corrigendi vel supplendi. R. §. 1. Defectus, qui non sunt circa substantiam Missæ, non sunt supplendi, si quis longè progressus sit, vel per hoc deberet invertere ordinem Missæ. Pasq. q. 297. Gob. in Exp. t. 3. n. 777. Hinc longiùs progressus non teneris supplere omissionem orationis etiam in canone aut similis actionis, tum quia vix fiet sine nota, tum etiam quia omnia, quæ hîc dicuntur vel aguntur, ita sunt connexa, ut si à propriis locis extrahantur, non cohæreant, S. Tho. Suar. Con. Bon. Castrop. t. 22. p. 11. nu. 6. Addunt cum aliis multis Gob. n. 42. & Quarti q. proemiali s. 2. p. 2. & s. 6. p. 4. etiam ideo non teneri post errorem positum, quia Rubricæ de defectibus corrigendis sunt tantùm directivæ non obligantes sub culpa: Hinc si omisisti Gloria vel Credo, cum dicendum esset, & aliquantùm es progressus,